

odibilibus non debetur paternae consolationis visitatio, set magis infligenda est condigne severitatis increpatio, ad sedem Coloniensem, cui tam grave intulistis preiudicium, vos invitamus, ut si excessus vestros sicut scripsistis nostro corrigere volueritis consilio, exemplo patris euangelici prolem quae perierat gratanter recipiamus sub utriusque, Coloniensis videlicet et Leodiensis ecclesiae, quae nobiscum est, testimonio. Verumtamen ex superhabundanti, si vestra hec efflagitat humilitas, apud Sanctum Cornelium Indae cum filiis predictarum ecclesiarum vobis occurremus IIII^{to} Nonas Septembris, parati misericorditer recipere in spiritu lenitatis et correctos instruere, et quoniam Alexander per Godescalcum Traiectensem clericum obedientiam et subiectionem nobis presente ecclesia demandavit, et se velle de omnibus suis excessibus nostro adquiescere consilio per eundem nobis insinuavit, III. Non. Sept. nos in predicto commoratu-
 cibus cenobio eidem remandavimus, ut, si forte velit aliquid rationabiliter dicere¹⁾ ad aures ecclesiae, audiatur. Si quis autem inter vos habet zelum Domini, eundem ammonere, arguere, increpare, obsecrare, orare non dissimulet, ut sibi ipsi propitius parcat Christi ecclesie, nec incipiat infamis haberi, totiens per domnum apostolicum, per nos, per suum episcopum eiectus a sancte matris ecclesie liminibus. Plures enim repulsae personam eius infamem sicque reddunt ecclesiae notabilem, ut non solum id quod male nititur non apprehendat, set et honoris et ordinis pericul(um) subeat, quos adhuc retinere ex affectu maternae pietatis ecclesiae mansuetudo tolerat. Hec vobis, fratres carissimi, scribimus in spiritu caritatis, non ut vos confundamus, set sic ut per priores litteras promisimus, ut tam spirituali quam temporali pace consolandos ad sinum matris ecclesiae reducamus.

1) Die mittleren Buchstaben sind unlesbar.